Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ ejus usque ad finem firmum retineamus :

Participes *enim* (Spiritus et gratiæ) Christi (per ejus mortem et per baptismum) effecti sumus (et ad gloriam vocamur, hoc nobis non proficiet nisi sub ea conditione, scilicet), si tamen initium substantiæ (seu Evangelium, quo regenerati sumus et quo cœpimus in vita spiritali subsistere et fieri nova creatura) ejus, usque ad finem (vitæ nostræ) firmum (et integrum) retineamus. (Igitur dum tempus præsentis vitæ agitur, et)

Dum dicitur : Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, quemadmodum in illa exacerbatione,

Dum (a Deo nobis adhuc viventibus) dicitur sicut et patribus nostris) : Hodie si vocem ejus (Christi) audieritis, nolite obdurare corda vestra quemadmodum in illa (epoca ubi me impulerunt in) exacerbatione, (eorum obdurationem nolite imitari ; sed potius imitamini quorumdam obedientiam qui se a murmurantibus separaverunt) ;

Quidam enim audientes exacerbaverunt, sed non universi qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen.

Quidam enim, (hanc Dei vocem) audientes, (per suam duritiam eum) exacerbaverunt ; sed non universi, qui profecti sunt ex Ægypto per Moysen (eos ducentem, murmuraverunt, proindeque, culpæ aliorum et pœnæ expertes, promissam terram incolumes ingressi sunt. Qui sunt illi)

Quibus autem nfensus est quadraginta annis ? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera prostrata sunt in deserto ?

Quibus autem infensus est quadraginta annis ? Nonne illis qui (per diffidentiam et inobedientiam contra eum) peccaverunt (et) quorum (propter hanc causam) cadavera prostrata sunt in deserto ?

Quibus autem

Quibus autem (ex Hebræis) juravit (quòd)

non (sineret eos) introire in requiem ipsius, (nempe, in terram promissam), nisi illis qui (ejus dicto et Moysis voci) increduli fuerunt ?

juravit non introire in requiem ipsius, nisi illis qui increduli fuerunt?

Et videmus (in sacra Scriptura) quia (seu quòd revera) non potuerunt (in illam) introire propter incredulitatem (suam. Et idem nobis eveniet ; et nisi Deo minanti obtemperemus ipsique credamus et fidamus, cœlo excludemur).

Et videmus quia non potuerunt introire propter incredulitatem.

CAPUT IV.

Hebræos hortatur Apostolus ut in fide Christi permaneant, ut per ipsum in cœlo admittantur. Hanc in cœlo admissionem eis esse promissam docet, sicut Judæis promissa fuit requies in Chanaan. Deficientibus a fide Christi exclusionem a cœlo minatur. Rursum eos hortatur ut Christum, per omnia tentatum ipsisque compatientem, fidenter adeant et invocent.

Timeamus ergo, (fratres), ne forte, relicta (seu neglecta) pollicitatione introeundi in requiem ejus (cœlestem a Christo nobis facta), existimetur (seu inveniatur) aliquis ex vobis (in hac cœlesti requie) deesse. (Et hoc evenire potest) ;

Timeamus ergo ne forte, relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, existimetur aliquis ex vobis deesse ;

Etenim et nobis (promissum evangelicum de possidenda requia æterna) nuntiatum est, quemadmodum et illis (promissio de terra Chanaan) ; sed (quemadmodum) non profuit illis (hic) sermo auditus, (quia ab eis non fuit bene receptus et) non (fuit) admixtus fidei (eorum, sicut admitti debebat) ex iis (claris verbis,

Etenim et nobis nuntiatum est quemadmodum et illis ; sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei ex iis quæ audierunt.

quæ (per Mosen) audierunt, (proindeque hujus diffidentiæ pœnas solverunt ; ita pariter vobis, o christiani, non proderit audivisse hoc Evangelium quo cœlum vobis promittitur, si propter desidiam aut metum persecutionum a fide Christi deficiatis. Si autem huic fidei constanter adhæreamus, nil nobis timendum erit ; sed certo)

Ingrediemur enim in requiem qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam ; et quidem operibus ab institutione mundi perfectis ;

Ingrediemur *enim* in (hanc) requiem, (nos) qui credidimus ; quemadmodum (enim solis incredulis) dixit : « Sicut juravi in ira mea, si (seu, non) introibunt in requiem meam, (sic a contrario fideles et credentes in hanc requiem admittentur. Quæ autem erit hæc requies ? Certe non simplex requies sabbati, instituti in memoriam diei qua Deus cessavit) et quidem (requievit ab) operibus ab institutione mundi perfectis; (de qua requie Scriptura)

Dixit enim in quodam loco de die septima sic: « Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis:

Dixit enim in quodam loco, (loquens) de die septima sic : « Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis ; » (ex quibus verbis instituta est requies sabbati ad exemplar quietis Dei. Non autem hic agitur, inquam, de hac requie sabbatica ; nam requiem futuram promittit Deus ; atqui requies sabbatica jam et a longo tempore non solum a Judæis sed etiam a primis hominibus observabatur ; ergo ad aliam requiem hic alludit. Insuper)

Et in isto rursum: Si introibunt in requiem meam.

Et in isto (eodem Psalmo Scriptura) rursum (dicit) : « Si (seu, non) introibunt in requiem meam » ; (atqui a requie sabbatica nemo excludebatur, sed e contra ad illam requiem omnes a lege cogebantur ; ergo non sabbatica, sed alia requies hic promittitur : quod primo probandum erat).

Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, et ii, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt propter incredulitatem ;

Quoniam ergo (ex Psalmo dicto) superest (seu constat quòd Deus promisit) introire (seu introituros fore) quosdam (homines) in illam (requiem futuram), et (quoniam) ii (Israelitæ) quibus prioribus (seu prius) annuntiatum est (hoc promissum), non introierunt (neque in requiem Chanaan neque in requiem cœlestem) propter incredulitatem suam, (inde sequitur quòd vel ad hanc requiem invitati sunt alii quidam nempe fideles et christiani, vel quòd hæc requiei promissio esset prorsus vana et illusoria proindeque Deo indigna. Dixi hic agi, non de requie sabbatica nec de requie in Chanaan, sed de tertia requie futura, et sic probatur hæc assertio, scilicet : in Psalmo enim Deus præfinit et)

Iterum terminat diem quemdam Hodie in David dicendo post tantum temporis, sicut supra dictum est : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra ».

Iterum terminat (seu determinat) diem (requiei) quemdam, (qui intelligendus est ut futurus, cum loquitur) in (seu per os) David dicendo (hoc verbum) : « Hodie » ; (impossibile est enim ut), post tantum temporis (effluxum ex quo requies chanaanitica præterierat, hoc verbum de ea requie intelligatur : ergo cum dicit), sicut (jam) supra dictum est : « Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra », (hoc verbum « Hodie » jam non Judæis convenit, sed alludit ad aliam requiem fu-

turam, nempe ad requiem in cœlo æternam quæ christianis in hoc « Hodie » proponitur pro semper et pro quavis ætate futura. Sed forte aliquis dicet : Si increduli non sunt ingressi in requiem terræ Chanaan, alii tamen ut Josue et Caleb ingressi sunt. Respondeo : illud præcise probat quòd de hac requie non agitur) :

Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die.

Nam si eis, (scilicet Judæis, quos introduxit in terram promissam) Jesus (seu Josue, veram) requiem (de qua agitur) præstitisset, nunquam (Scriptura) de alia loqueretur posthac (seu posteriori) die : (cur enim nobis proponeret, tanto tempore post mortem Josue, hanc requiem quam ipse et sui jam erant consecuti) ?

Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.

Itaque, (et ex dictis sequitur quòd) relinquitur (et a Deo proponitur alius) sabbatismus populo Dei,(scilicet, requies vera et perpetua in cœlo figurata per quietem sabbati, et ubi ille)

Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus.

Qui *enim* ingressus est (seu erit) in requiem ejus, etiam ipse (æternum) requievit (seu requiescet) ab operibus suis (et a laboribus hujus vitæ), sicut a suis (operibus creationis requievit) Deus. (Igitur, dum in deserto hujus vitæ sicut Hebræi peregrinamur, non consistamus, non respectemus, non animo cadamus propter labores et hostium incursus sustinendos ; sed)

Festinemus ergo ingredi in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat in-

Festinemus *ergo* ingredi in illam requiem ; (et ita festinemus) ut ne (ali)quis (nostrum præ fatigatione aut diffidentia) incidat in idipsum (laqueum inobedientiæ

et desperationis et fiat novum) incredulitatis exemplum, (et sic excludatur a requie cœlesti, sicut Hebræi increduli exclusi sunt a requie chanaanitica. Timete hunc finem qui vobis sermone ipsius Dei præsagitur) ;

credulitatis exemplum.

Vivus est enim (hic) sermo Dei, et (est) efficax (seu potens et fidelis in exequendo quod promittit aut comminatur) ; et (est) penetrabilior (seu acutior) omni gladio ancipiti, (profundissime et undique penetrans) et pertingens usque ad divisionem (tum) animæ (inferioris, in qua sunt cupiditates aut affectus naturæ), (tum) ac spiritus (superioris fide et gratia illustrati ; et est penetrans quoque ligamenta) compagum quoque (seu cartilaginum) ac medullarum), et discretor (omnium) cogitationum et intentionum cordis (ita ut discernat quid anima inferior velit et quid velit spiritus) ;

Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus ; compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis,

Et (est omnino infallibilis, siquidem) non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, (et) omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus (Dei), ad quem nobis (actuum nostrorum) sermo (seu ratio est reddenda. Cum igitur sit adeo vivus sermo Dei, credendum est eum nonnisi vera promittere ; cum sit efficax, credendum est eum promissa perficere ; cum sit penetrabilis, eum offendere cavendum est ; et si a fide deficimus, ejus oculos et iram non effugiemus ; in hac fide igitur perstemus, scientes quòd sumus)

Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus ad quem nobis sermo.

Habentes ergo Pontificem magnum qui penetravit cœlos, Jesum filium Dei, teneamus confessionem ;

Habentes autem Pontificem magnum qui penetravit cœlos (et eos nobis pervios fecit), Jesum (Christum) Filium Dei, teneamus confessionem (seu professionem fidei nostræ firmam et indeclinabilem. Ne propter victoriæ difficultates animo deficiatis, mementote quòd)

Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.

Non *enim* habemus (in cœlo) Pontificem, qui (nostrorum periculorum et nostrarum afflictionum inexpertus sit et qui) non possit compati infirmitatibus nostris ; (sed Pontificem habemus) tentatum *autem* (et expertum) per omnia (afflictionum genera, quæ subire voluit) pro (habenda perfecta nobiscum) similitudine absque (seu excepto) peccato.

Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

Adeamus ergo cum (omni) fiducia ad (hunc Jesum sedentem in cœlo super) thronum gratiæ, ut (invocemus eum in omni tentatione et a Deo per eum) misericordiam consequamur et gratiam (ejus) inveniamus (et) in auxilio (habeamus, in tempore) opportuno (seu in tempore tentationis aut persecutionis).

CAPUT V.

Docet Apostolus quòd Christus Pontifex noster, a Deo constitutus, nobis similis et condolens, exauditus sit pro sua reverentia et obedientia. Vocat eum Pontificem secundum ordinem Melchisedech, ad quem sternit sibi transitum increpando Hebræorum tarditatem.

(Adeamus Christum cum fiducia, inquam, quia omnibus pollet dotibus ad perfectum Pontificem requisitis, quæ pontificatum Aaronis longe præstant) :

Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum ut offerat dona et sacrificia pro peccatis,

Omnis namque Pontifex (primo est) ex hominibus assumptus, (ut hominum causam bene cognitam agere possit ; et secundo) pro hominibus (mediator) constituitur in iis quæ sunt (spectantia) ad Deum (congrue colendum ; et ejus mediatio in eo consistit) ut offerat (Deo) dona et sacrificia pro (expiandis) peccatis (hominum : tertio debet esse is)

Qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circundatus est infirmitate,

Qui condolere possit (et non irasci) iis qui ignorant et (qui) errant, quoniam (memor est quòd) et ipse circundatus est infirmitate (naturæ quæ Pontifici competit).

Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.

Et propterea (quòd hac naturæ infirmitate circundatur), debet, quemadmodum pro populo (absolvendo sacrificium offert), ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis : (atqui ita fuit Christus qui sacrificium obtulit pro peccatis, quæ sua non

erant, sed quæ spontanee fecit sua. Dixi Pontificem a Deo constituendum esse) ;

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.

Nec (enim) quisquam sumit (seu sumere debet) sibi (et sua sponte tantum) honorem, sed (solus ille) qui (ad hunc) vocatur a Deo, tanquam Aaron (et ejus successores vocati sunt) :

Sic et Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum : Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Sic et (ad subeundam hanc vocationis conditionem) Christus non semetipsum clarificavit (seu extulit adeo) ut (per seipsum) Pontifex fieret ; sed (electus est a Deo) qui (sic) locutus est ad eum : « Filius meus es tu ; ego hodie (seu ab æterno) genui te » ; (et, siquidem, omni tempore ante Christum ex jure gentium mos erat ut omnes primogeniti filii essent sacerdotes et Pontifices, non mirum si Christus utpote unigenitus Filius Dei, a Patre suo Pontifex constitutus fuit) :

Quemadmodum et in alio loco dicit : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech,

Quemadmodum, (seu ita pariter) et in alio loco (Deus illi) dicit : Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. (Ergo a Deo Pontifex electus est Christus. Insuper electus est ex hominibus et circundatus est infirmitate [1], ut diximus, quippe)

Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationesque ad eum qui possit illum

Qui, in diebus carnis (seu) suæ (vitæ in carne et præsertim in die mortis suæ dum pateretur, obtulit) preces supplicationes que ad eum (nempe Patrem suum) qui

[1] Duplex distinguitur infirmitas, prior naturæ qua quis cum aliis hominibus fit particeps eorum miseriæ, posterior autem infirmitas concupiscentiæ et culpæ qua quis ad peccatum fit proclivis ; prior competit Christo utpote Pontifici essentialis, non vero posterior quæ non modo non essentialis sed potius est nociva Pontifici.

possit (seu poterat) illum salvum facere a morte, (et) cum clamore valido et (multis) lacrymis (has preces fuit) offerens, (ut manifestum fieret illum vere pati et circundatum esse infirmitate nostra ; unde coactus est ad orandum pro semetipso et) exauditus est (a Patre suo nonnisi) pro sua (erga eum humili) reverentia ; (exauditus est, inquam, non ita ut a morte liberatus fuerit, sed ut a morte resurrexerit et nobis resurrectionem meritus sit) :

salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia :

Et (sic) quidem (patiendo), cum (seu quamvis) esset Filius Dei (cui immortalitas et gloria debebatur), didicit ex iis quæ passus est obedientiam, (ut, obedientiæ difficultates in se expertus, nobis melius compati posset et ad obedientiam nos efficacius provocaret) ;

Et quidem cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est obedientiam :

Et (postquam hac sua passione et obedientia) consummatus (fuit in gratia et mox in gloria), factus est (pro) omnibus obtemperantibus (seu obedientibus) sibi causa (consummationis et perfectionis et) salutis æternæ ; (propter quam nobis obtinendam)

Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ,

Appellatus (et constitutus est) a Deo Pontifex (et Pontifex) juxta ordinem Melchisedech.

Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.

De quo (Melchisedech si vobis dicere velimus quod de eo dici potest), nobis (dicendus esset) grandis (seu multus) sermo et ininterpretabilis (seu difficilis explicatu maxime infidelibus et etiam quoad aliquot puncta intellectu difficillima, ut, verbi

De quo nobis grandis sermo et ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti estis ad audiendum :

gratia, oblatio panis et vini a Melchisedech facta in typum sacrificii Eucharistiæ, et quædam alia quæ nec mihi in promptu est) ad (clare) dicendum (nec vobis ad intelligendum), quoniam imbecilles (seu tardiores) facti estis ad audiendum (et percipiendum res spirituales. Tardiores facti estis, inquam) ;

Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei, et facti estis quibus lacte opus sit non solido cibo :

Etenim cum deberetis, (nunc in scientia spiritali), magistri esse propter (longum) tempus (quo tam in lege mosaica quam in Christianismo eruditi estis), rursum indigetis ut vos doceamini quæ sint (prima) elementa exordii (seu initialia rudimenta) sermonum (et doctrinæ) Dei : et facti estis (sicut infantes) quibus lacte (seu simplicissima doctrina) opus sit ; non (autem) solido cibo (seu altiori eruditione enutriri potestis) ;

Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ; parvulus enim est :

Omnis enim (homo) qui (nonnisi) lactis (seu puerilis eruditionis) est particeps (seu capax), expers (et imperitus) est (intelligendi) sermonis (qui fit de conditionibus et de via perfectæ) justitiæ ; parvulus (et rudior) enim est (in Christianismo : nonnisi)

Perfectorum autem est solidus cibus, eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni ac mali.

Perfectorum *autem* (gregi destinatur et præbendus) est solidus cibus (seu sermo doctrinæ perfectæ ; et est exclusive accommodatus menti) eorum qui pro (longa et sancta) consuetudine exercitatos habent (animi) sensus ad (faciendam) discretionem boni ac mali, (veri et falsi).

CAPUT VI.

Dicit Apostolus se nolle rursum Hebræis tradere rudimenta fidei et pœnitentiæ, eo quòd eos qui tot Dei dona receperunt in vanum impossibile sit renovari ad pœnitentiam. Ad constantiam et spem eos adhortatur. Proponit eis exemplum Abrahæ qui, patienter ea expectans quæ Deus ei promiserat, tandem ea adeptus est.

(Quamvis hactenus tardi et segnes fuistis in doctrina Christi, tamen, cum jam audistis rudimenta fidei, me pro vobis et pro meipso puderet in his hærere ; hinc decet ut intelligentiam vestram acuatis ad percipiendam doctrinam perfectiorem) :

Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, et fide ad Deum,

Quapropter intermittentes inchoationis (seu elementaris doctrinæ) Christi sermonem, ad perfectiora (dogmata) feramur ; non (utile est enim ut simus) rursum jacientes (seu exponentes doctrinam, quæ nonnisi primum religionis) fundamentum (docet, nempe necessitatem) pœnitentiæ (qua resurgendum est) ab operibus mortuis (seu a peccatis), et (necessitatem) fidei ad (seu in) Deum ; (nec immorabimur huic, quæ tractat de variis formis)

Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum et judicii æterni :

Baptismatum, doctrinæ, (nec quæstionibus) impositionis *quoque* manuum ac resurrectionis mortuorum et judicii æterni : (Hæc rudimenta prætermittenda esse putamus) ;

Et hoc faciemus si quidem

Et hoc faciemus (id est ea rudimenta prætermittemus, et ad perfectiora dogma-

permiserit Deus.

ta transibimus), si quidem (hoc nobis) permiserit Deus (et major utilitas postulat. Quid enim prodesset apostatis, qui sunt inter vos, fundamenta pœnitentiæ et fidei et baptismi iterum exponere? hoc eis supervacaneum) :

Impossibile est enim eos qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste et participes facti sunt Spiritus sancti,

Impossibile [1] (seu admodum difficile) est enim eos, qui semel sunt (a Christo et ejus doctrina) illuminati (et qui) gustaverunt etiam (quam dulce sit) donum cœleste (deliciarum spiritualium), et (qui) participes facti sunt (donorum et charismatum Spiritus sancti, (et qui)

Gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtutesque sæculi venturi,

Gustaverunt *nihilominus* (quam consolatorium et suave sit) bonum Dei verbum, (et experti sunt quantum cor attrahant potentiæ) virtutesque sæculi venturi (scilicet, cognitio et amor et gaudium et spes et desiderium et immortalitas et gloria per quæ virtus et potentia Dei mirifice declarantur),

Et prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei et ostentui habentes.

Et (qui, post tanta dona et lumina, in apostasiam a fide) prolapsi sunt (et ad Judaismum aut ad infidelitatem desciscunt, ut aliqui inter vos faciunt; admodum difficile est, inquam, eos) rursus renovari ad (pristinam fidem per) pœnitentiam; (apostasia enim est unum ex his gravissimis peccatis quæ dicuntur peccata ad mortem, et ex quibus quam paucissimi resurgunt ad vitam; per tale enim pecca-

[1] Impossibile, non physice, sed moraliter et secundum legem ordinariam : in eodem sensu dicit Christus impossibile esse diviti intrare in cœlum, et addit : quod impossibile est apud homines possibile est apud Deum.

tum fuerunt) rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei (renovando id propter quod crucifixus est, et fuerunt) illum ostentui (et ludibrio) habentes. (Dum)

Terra enim sæpe (a cœlo) venientem super se bibens imbrem, et generans herbam opportunam (seu utilem) illis (agricolis) a quibus colitur, (novas cœli pluvias et novas cœli solisque influentias in gratiam suæ docilitatis percipit et sic) accipit (novam) benedictionem a Deo; (terra quæ est)

Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem et generans herbam opportunam illis a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo;

Proferens autem (nonnisi) spinas ac tribulos, (ab omnibus) reproba est (et rejicitur, et heri sui Deique) maledicto (obnoxia et) proxima (est, et) cujus (seu hujus) consummatio (desinet) in combustionem. (Sic fiet hominibus, sive bonis qui imbrem divinæ gratiæ bene excipientes eique cooperantes multam ex hac cooperatione meritorum segetem et Dei benedictionem colligent, sive malis qui ex sua infidelitate nihil nisi maledictionem sibi acquirunt in hoc mundo et in futuro).

Proferens autem spinas ac tribulos reproba est, et maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem.

Confidimus (et speramus) autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti (quam de terra spinas germinante); tametsi (seu tamen de ea) ita (vobis) loquimur (ut vos ab ejus maledictione præservemus. Meliora autem de vestra bona voluntate speramus, inquam, et de justitia Dei);

Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora et viciniora saluti, tametsi ita loquimur :

Non enim injustus (est) Deus, (et impossibile est) ut obliviscatur (boni) operis vestri (seu bonorum operum vestrorum)

Non enim injustus Deus ut obliviscatur operis

vestri et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis et ministratis,

et (fraternæ) dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, (vos) qui ministrastis (tot eleemosynas ejus) sanctis et (adhuc quotidie) ministratis. (Ita tamen locuti sumus vobis, quia timemus ne in via deficiatis, et quia valde)

Cupimus autem unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem,

Cupimus *autem* unumquemque vestrum eamdem ostentare sollicitudinem ad (obtinendam) expletionem spei (vestræ. Et ut in eo incumbatis) usque in finem, (rogamus vos)

Ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum qui fide et patientia hæreditabunt promissiones.

Ut non segnes efficiamini (in retinenda Christi fide et in tolerandis afflictionibus), verum (ut sitis constanter) imitatores eorum qui, fide (sua in promissionibus Dei) et patientia (qua in malis non franguntur), hæreditabunt (has) promissiones (scilicet bona vitæ æternæ. Quæ promissiones confirmantur in persona Abrahæ, quem vobis in exemplum propono : atqui, cum)

Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum,

Abrahæ namque (fuit) promittens Deus, hanc promissionem certam esse ostendere volens, eam jurejurando confirmare statuit ; et) quoniam neminem habuit per quem juraret (seipso) majorem, juravit per semetipsum,

Dicens : Nisi benedicens benedicam te et multiplicans multiplicabo te :

Dicens : Nisi benedicens benedicam te et multiplicans multiplicabo te (seu semen tuum, ut tibi promisi, non habear verax et non existimer Deus. Abraham autem credidit huic promissioni) ;

Et sic longanimiter ferens adeptus est repromissionem :

Et sic, (seu propter hanc fidem) longanimiter (temporis spatium a Deo præfixum) ferens, (tandem) adeptus est (illud quod ei annuntiatum erat per hanc) repromissionem. (Cur jurando per semetipsum Deus certissimo modo confirmavit suam promissionem ? ut eam certiorem et indubitabilem hominibus faceret) :

Homines enim per majorem sui jurant ; et omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum,

Homines enim (ipsi) per (aliquem) majorem sui (seu seipsis ad plenam contractus consecrationem) jurant ; et omnis controversiæ eorum finis (adducitur per illud quod) ad confirmationem (sufficiens) est, (scilicet), juramentum. Et hæc est ratio, inquam, cur)

In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum ;

In quo (seu in ea re tam gravi) abundantius (et plenissime) volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilii (seu promissi) sui, interposuit jusjurandum ; (jurejurando suam promissionem confirmavit, inquam),

Ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem,

Ut per (has) duas res, (scilicet, promissionem et juramentum, quæ) immobiles (et irrevocabiles sunt et) quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium (et firmam spem) habeamus, (nos) qui, (ex quo Christi fidem amplexi sumus, confugimus ad (firmiter) tenendam (eam, quam a Deo) propositam (habemus), spem (vitæ æternæ ; et quomodo firma non esset ea spes) ?

Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam et incedentem usque ad

Quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam (contra adversa), et incedentem (seu penetrantem) usque ad interiora velaminis (seu in Sancta Sanctorum

interiora velaminis,

ubi habitat ipse Christus? proindeque fixa est in Christo ipso nostra spes, siquidem penetrat usque ad Sancta Sanctorum, id est, usque ad cœlum),

Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

Ubi præcursor (noster, ut nobis cœli aditum patefaceret), pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech Pontifex factus, (et ut talis ad dexteram Patris sedens et intercedens) in æternum. (Illum igitur nobis viam præparantem sequamur, ut eum consequamur).

CAPUT VII.

Ex typo Melchisedech, Apostolus docet Christi sacerdotium, aaronico sacerdotio præstantius, successisse; et illud septem rationibus probat 1° quia Abrahan decimas dedit Melchisedech quasi suo Pontifici et typo Christi, 2° quia Melchisedech benedixit Abrahæ et consequenter Aaroni, 3° quia Melchisedech, sine patre et matre, quasi æternus inducitur, dum aaronici pontifices sunt tantummodo temporanei, 4° quia sacerdotium Christi quasi perfectius successit aaronico sacerdotio, ut expleret ea quæ ei deerant, 5° quia Christo, non Aaroni, promissum est sacerdotium a Deo cum jurejurando, 6° quia Christus est immortalis, aaronici autem pontifices mortales erant, 7° quia Christus uno sacrificio omnia expiavit peccata, dum aaronici pontifices multis sacrificiis ne unum quidem peccatum expiaverunt.

(Nunc de Melchisedech sermonem: quem pro rudibus nimis altnm dixi, aggredior; et dico quòd)

Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei;

Hic *enim* Melchisedech, (qui erat) rex Salem (seu Jerusalem et) sacerdos Dei sumni (et) qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei, (hic Melchisedech, inquam),

Cui et decimas omnium divisit Abraham; primum quidem qui interpretatur rex justitiæ, deinde autem et rex Salem quod est rex pacis,

Cui (prædam suam) et decimas omnium (spoliorum quæ a regibus ceperat) divisit (seu largitus est) Abraham, (illius Pontificatum majorem suo sic agnoscens; ille Melchisedech, inquam, qui erat) primum quidem (homo magni momenti coram Deo et hominibus, quippe) qui interpretatur (seu idem sonat ac) rex justitiæ, deinde autem (fuit) rex Salem quod est (et idem sonat ac) rex pacis; (ille Melchisedech, qui erat)

Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet sacerdos in perpetuum.

Sine patre (et) sine matre (et) sine genealogia (in Scriptura designatis), neque (in eadem Scriptura) initium dierum neque finem vitæ (determinata) habens, (et in eo) assimilatus *autem* Filio Dei (qui in terris, quatenus homo, est sine patre, et, quatenus Deus in cœlis, est sine matre; ille Melchisedech denique qui, propter nullam ejus mortis mentionem in Scriptura factam), manet (seu dicitur) sacerdos in perpetuum, (et perfectus est typus Christi: 1° quoad nomen, quo vocatur rex justitiæ; 2° quoad officium et statum, utpote rex pacis et rex Jerusalem cujus Rex pacificus est ipse Christus; 3° quoad generationem, ut modo diximus; 4° quoad ætatem et durationem, cujus initium et finis manent incognita; 5° quoad sacerdotium et pontificatum quæ in sua persona habuit sicut Christus; 6° quoad sacerdotii genus, siquidem in suo sacerdotio nullum habuit antecessorem neque successorem, ut ipse Christus; 7° quoad sacerdotii dignitatem,